



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXXVI. De jurisdictione, & Casibus reservatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

possit, ut, quid sit matrimonium, intelligere, & consensum signis indicare queat. Unde patet etiam responsio ad 1. rationem in contrarium allatam.

Ad 2. R. id in jure Civili circa eos contractus expressum, & prohibitum esse, eò quòd muti simul & surdi aliàs facile decipi possent,

cùm difficile admodum sit eorum contractuum vim & naturam nosse. De contractu autem matrimoniali nullibi id prohibitum reperitur; essetque aliàs durissimum eos compellere continenter vivere, & remedium ad sedandum libidinis æstum à Christo institutum eis denegare, ut suprà insinuatum est.

CASUS XXXVI.

De jurisdictione, & Casibus reservatis.

Simpson Parochus à Bonifacio vicino Parocho ad audiendas die Dedicacionis confessiones invitatus Summo mane comparet, sedetque pro tribunali, & pœnitentium Confessiones audit, inter quos advena quidam S. tribunal subit cum duplici gravi peccato, uno reservato Episcopo Diœcesis ipsius pœnitentis, altero reservato Episcopo in Diœcesi ipsius Confessarii. Simpson licet non nihil dubitaret, putans tamen se advenas, & peregrinos absolvere posse, eum ab utroque casu reservato absolvit sine alia obligatione se sistendi habenti potestatem in reservata.

QUÆR. I. An peregrini, & advena habentes casum reservatum in sua Diœcesi, & transeuntes ad aliam Diœcesim, ubi non est reservatus, absolvi possint à quovis approbato Confessario?

QUÆR. II. An ùdem ab eodem absolvi possint, si peccatum sit duntaxat reservatum in Diœcesi Confessarii; non verò in Diœcesi pœnitentis, seu peregrini?

QUÆR. III. An peccare dicendus sit Simpson Sacerdos absolvens cum jurisdictione dubia, vel ex ratione probabili?

Ad

208 **A**D 1. Q. R. Confessarium, habentem potestatem in Diocesi absolventi à reservatis, non solum posse eam exercere etiam in advenas, & peregrinos ex tacito consensu Prælatorum, & generali consuetudine, vi cuius peregrini, & advenæ, ut incolæ, à Diocesium Confessariis absolventur, uti contra Sotum *d. 18. q. 2. a. 4.* docent S. Anton. *3. p. tit. 17. c. 4.* Cajetan. *Summ. V. absolutio 2.* Suarez *D. 30. de Pœnit. Sect. 1. n. 4.* Lugo *D. 20. n. 71.* Palud. & alii.

Verum etiam posse peregrinos, & advenas etiam absolvi à quovis alio Sacerdote approbato, quando casus est duntaxat reservatus in propria peregrinorum, & advenarum Diocesi. Ita Suarez *D. 33. S. 1. n. 5.* Navar. *in man. cap. 27. n. 275.* Lacroix *l. 6. p. 2. n. 1631.* Octavius Maria à S. Joseph. aliique cum, & apud Bonac. *D. 5. q. pun. 5. §. 2. n. 9.* Ratio est; tum quia Confessarii non tenentur scire casus aliis aliarum Diocesium Episcopis reservatos; tum quia reus, seu pœnitens, ut incola, judicandus est juxta forum, & leges loci illius, in quo reperitur; tum quia reservatio Episcopalis vim tantum habet intra Diocesim reservantis; tum denique quia adesse censetur tacitus Prælatorum consensus. Et ita declaravit etiam Clemens X. in *Const. quæ incipit: Superna,* edita Anno 1670. addita tamen hac

limitatione, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad aliam Diocesim pro absolutione obrinenda migrasse. Tum quia tunc non censetur illorum Episcopus consentire; tum quia par non est, ut fraus, & dolus eis patrocinentur; qualis fraus tunc contingeret, quando quis habens reservata in sua Diocesi, absque necessitate, datâ operâ, consultò, ac Studio sè pergeret in aliam, in qua non sunt reservata, ut ibi absolvatur, & proprium Pastorem evitet; tunc enim ageret in fraudem reservationis, & reservatio non haberet effectum.

Ad 2. Q. An peregrini, & ad-209
venæ à quovis approbato Confessario absolvi possint, si habeant tantum tantum reservatum in Diocesi Confessarii, non verò reservatum Episcopo proprii domicilii, seu in Diocesi ipsius pœnitentis? Censent non nulli cum Fagund, & Stoz posse eos absolvi. Rationem dant; quia reservatio fit ab Episcopo in propriæ Diocesis bonum, & circa peccata suorum Diocesano-
rum; non autem peregrinorum, qui non sunt Oves suæ Diocesis, nec subditi, & insuper Confessarius viatorum absolvat per jurisdictionem ab Episcopo viatoris ex recepta consuetudine delegatam, quæ ab alio respectu non subditi restringi nequit.

Con-

210 Contrarium tamen melius, ac probabilius docent plerique cum Suarez l. c. Navar. l. c. n. 261. Lug. Cajetan. Bonac. Diana, Averfa, Con. Marchant. Bordon. &c. negantes posse eos absolvi, nisi ab habente potestatem absolvendi à reservatis. Ratio est; tum quia Episcopus hujus Diœcesis respectu talis peccati directè sustulit Confessario jurisdictionem, eò quòd reservatio immediatè Confessarium tangat, cui tollitur jurisdictio in reservata; tum quia, licet peregrinus non sit aliàs subditus, judicatur tamen tunc ut subditus, & incola illius loci, cùm judicandus sit juxta leges, & consuetudinem loci, in quo reperitur; & maximè in foro Sacramentali pœnitens judicari debet, & absolvi secundùm conditionem delictorum, quæ confitetur, & jurisdictionem quam obtinet Confessarius pro eo tempore, quo pœnitentis confessionem audit: cùm ergo tunc temporis Confessarius respectu reservatorum ligatam, & impeditam habeat jurisdictionem, & pœnitens in ordine ad hunc actum fiat ejus subditus, idcirco neminem extra mortis articulum absolvere poterit. Quæ ratio militat à fortiori, si peregrinus casum habet reservatum utriusque Episcopo, prout etiam declaratum est à Clemente X. l. c. Neque obstat, si dicas, peregrinum non incurrere in censuram latam ab Episcopo loci, in quo confitetur,

quando peccavit extra ejus Diœcesin: ergo neque in reservatorem, quæ cùm habeat rationem pœnæ, afficere debet tantùm subditos, non peregrinos, & viatores. R. enim n. parit. quia censura per statutum lata immediatè afficit territorium, illique cohæret, atque idcirco neminem ligat extra territorium peccantem, teste Laym. Reservatio verò non afficit propriè territorium, nec in territorio existentes, sed immediatè afficit Confessarios, quibus adimitur, vel limitatur jurisdictio, ne scilicet absolvant tali crimine obstrictos; & quòd reservatio nihil operetur directè, & immediatè circa pœnitentes, patet etiam ex eo, quòd si Diœcesanus commisso crimine reservato in Diœcesi, deinde se transferat bona fide ad aliam Diœcesin, ubi tale delictum non est reservatum, possit ibi per Confessarium simplicem approbatum absolvi, ut suprâ insinuatum est. Quod non fieret, si reservatio immediatè & directè afficeret Diœcesanum peccantem. Ex dictis colligitur etiam responsio ad rationem in contrarium allatam. 211

Ad 3. Q. R. cum Suarez D. 26. sect. 6. Coninck d. s. dub. 6. n. 45. Palao tr. 23. D. unic. p. 14. Regin. aliisque Sacerdotem habentem jurisdictionem dubiam in peccata pœnitentis illicitè absolvere, & peccare, nisi gravis necessitas urgeat, qualis v. g. esset, si præcepto annuæ

nuæ Confessionis pœnitens obligaretur, vel si absque nota, & scandalo non posset communionem, aut Missam differre, nec alius adesset, cui posset confiteri. Ratio est, quia absolvens cum tali dubio exponit se periculo conferendi Sacramentum invalidè, quod extra casum magnæ necessitatis non licet; urgente tamen necessitate licitè absolvit, adjecta tunc conditione, *si*, vel *in quantum possum*, & monito pœnitente, ut iterum confiteatur alicui certam jurisdictionem habenti, ut notant cit. DD. cum aliis, licèt Salas *tr. 8. d. 1.* hoc onus non agnoscat.

Expedit tamen in hoc casu peccatum aliquod veniale adjicere, in quod absolutio certò validè, & directè cadat, sicque ab hoc directè, à cæteris verò peccatis saltem indirectè pœnitens absolvatur.

Quod si Sacerdos ex ratione verè probabili resolvat, se habere jurisdictionem in peccata pœnitentis, licitè absolvit, ut docent Suarez l. c. Lugo *D. 19. n. 20.* Coninck. l. c. Palao, Bonac. Sanch. Turrian. Mald. Præpos. aliique. Tum quia tunc est practicè certus de actione licita, & jurisdictione in aliqua saltem peccata pœnitentis, utpote qui ordinariè confiteatur aliqua venialia simul cum mortalibus; tum quia Pontifex pro eo casu dat facultatem, & jurisdictionem propter communem fidelium utilitatem, & pro-

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

babilem DD. opinionem id affirmantium, quo in casu docet Lugo l. c. à n. 28. cum communiore sententia Suarez Dianæ, Palai, Bonac. Dom. Viva, & aliorum citt. Ecclesiam propter commune bonum dare tunc jurisdictionem, etiamsi sententia illa esset reipsa falsa, sicut dat jurisdictionem propter publicam utilitatem, quando intervenit communis error cum titulo colorato, v. g. dum aliquis passim putatur esse Pastor, qui ob censuram, vel alium defectum re vera talis non est; tunc enim Ecclesia supplet defectum, & jurisdictionem impertit propter communem pœnitentium utilitatem juxta communem DD. & patet ex *l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* imò etiam cum solum intervenit error communis absque titulo colorato, ut docent plurimi apud Dianam *R. 94.* & Domin. Vivam in *propof. 1. damn. ab Innoc. XI.*

In mera tamen probabilitate non licere Confessario absolvere, nisi aliunde accedat certitudo practica, vel eligi non possit tutior, constat ex propositione hac ab Innoc. XI. proscripta: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore.* Nec obest, inquit hïc Cardenas *D. 2. c. 3.* quòd Confessarius absolvat pœnitentem habens cognitionem duntaxat probabilem de recta dispositione pœnitentis; quia non potest dici, quòd tunc relinquat tutiorem

ff

torem

tiolem, quando impossibile est, tutiorem sequi; est autem impossibile, ut plurimum, ut Confessarius habeat cognitionem plusquam probabilem de legitima dispositione pœnitentis, cum ea cognitio nitatur dicto pœnitentis, aut aliis signis externis fallibilibus; & ideo

operatur juxta cognitionem facti probabilem, sed non relinquit tutiorem, utpote plerumque impossibilem; alias ferè nunquam posset absolvere pœnitentem, nisi in mortis articulo.

CASUS XXXVII.

De potestate delegata, alteri concessa ad se absolvendum, & secum ipso dispensandi, ac Confessiones audiendi.

MAURITIUS Episcopus facultatem obtinuit absolvendi suos subditos à Casibus Pontifici reservatis; cum autem ipsemet in Casum Pontifici reservatum inciderit, subdelegat suam potestatem suo Confessario, ut se ab illo absolvat, qui, vix finita absolutione, tactus apoplexiâ extinguitur; In jejunio verò, voto, & in iis, in quibus cum suis subditis dispensare potest, ipse Mauritius non nunquam secum ipso dispensat.

QUÆR. I. An Episcopus, vel Abbas, possit secum ipso dispensare in jejunio, voto, & iis, in quibus potest cum suis subditis?

QUÆR. II. An rectè Mauritius suo Confessario subdelegaverit suam potestatem ad se à Casu reservato absolvendum?

QUÆR. III. An potestas alicui delegata ad Confessiones audiendas, mortuo delegante, expiret?

213 **A**D I. Q. Satis conveniunt dispensandi, posse secum ipsis dispensare indirectè, quando scilicet in lege jejunii v.g. vel festi dispensant pro tota Civitate, vel conventu,

DD. Episcopos, Abbates, aliosque superiores, qui potestatem habent cum suis subditis